Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35447
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

aromaticam habet tamen procul dubio
ex multo usu corrumpitur et dissolvetur.
Cynamomum vero et si excalidita-
te dissolvitur, tamen ex natura congluti-
nandi consumitur. Magis contra cor-
rupcionem gingivarum fiat lotu-
ra prius cum aqua salsa, et fricentur ita
ut sanguis inde fluat, deinde cum
pulvere cynamomi vino calido
mixto os optime abluatur. Etiam
in collirius positus oculos clarifi-
cat. Contra sincopim et cardiacam
passionem pulvis detur cum pulvere
cariofili. Virtutem habet reprimendi
violenciam aliarum aromaticarum
specierum ut camphore. Multociens
comestum confert tenebrositati oculorum,
pectus lenificat et mundificat, se-
dat dolorem aurium. Et iunctum
cum mirra valet contra puncturam scor-
pionum. Oleum autem factum ex ipso con-
fert adequalitatem motus membro-
rum et prohibet a tremore et corrup-
cione. Rabanus. Cynamomum
quod inveniunt in nido fenicis optimum
est, et quia arbor in qua nidificat
alta est et gracilis, et non possunt
homines adindum ascendere, cy-
namomum iaculis plumbeis deiciunt.

De cassya.

Cassya lignea ut dicit Plinius arbor
est vel pocius frutex ut virga indi-
recta porrigitur, robusti roboris,
ac purpureis foliis iuniperi. Vir-
tutem cynamomi habet sed inferiorem.
Unde duplex eius pondus in medi-
camentis ponitur pro cynamomo.
Virga fruticis huius trium cubito-
rum est triplicem colorem habens, pri-
mo candidum, medio rufum, in sum-
mitate nigrum. Hec pars maxime lau-
datur, deinde proxima, inferior vero que
candida est dampnatur. Illa maxime
preciosa est que minimi ponderis fuerit.
Platearius. Est autem lignea cassya
calida et sicca, vim habet consumendi
et confortandi ex aromaticitate. Contra
frigidum reuma vel contra frigidas causas
epatis vel splenis opilaciones mul-
tum valet. Pulvis eius cum laudano
et absinthio confectus mirabiliter
cerebrum confortat. Ad confortacionem
stomachi et frigidas causas et decoctio
debet in vino et vinum dari pacien-
tibus.

De cassyana.

Cassyana arbor est satis nota ca-
lida et sicca; in aquosis et palu-
stribus locis magis proveniunt quam in
siccis, proveniunt tamen in siccis, sed ligna
eius et folia minora sunt. Folia eius
et fructus competunt medicine. Fruc-
tus eius pui sunt quasi fructus iu-
niperi. Horum decoctio sive foliorum
arboris cassyane cum vino forti va-
let contra paralisim. Siquis autem loque-
lam perdidit morbo paralisi, et folia
virida eius sive pulverem foliorum
desiccatorum trita sub lingua tenu-
erit, indubitanter loquelam reddit.
Sed oportet ut hoc fiat in principio infir-
mitatis. Que si diucius invaluerit,
tunc remedia maiora adhibeantur,
sed tamen remedium aliud precipuum
est. Contra stranguriam valent folia
non immatura vel sumi sed sub mento
portata.

De cassya fistula.

Cassya fistula ut dicit Platearius
arbor est in partibus orientis nature
temperatissime. Fructus est quasi se-
mina longa producit succedente tem-